



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Diues, quia immisericors, fuit damnatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

cogitare, nihil amitti, quod pauperibus datur, Christo dicente, Amen dico vobis, quamdiu feceritis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feceritis; & utique præstantior est corporis sanitas, quam pecuniæ, quibus ægroto non licet frui; quæq; sæpe sine fructu medicis expenduntur. Verùm quia sana consilia apud te locum non habent, est aliud, quod ægritudini tuæ curandæ offeram, si fortè illud placet. Auarus cum animaduerneret, nummi spem refulgere, iubet eum consilia promere. Tum alter non minus pius, quam sacra doctus: Quando igitur ita es constitutus, inquit, & te largitatis in pauperes poenitet, age ad templum mecum redi; totam quantam summam expendisti, tibi numerabo, si Christo professus fueris, non te, sed me argentum istud in pauperes effudisse. Accipit conditionem miserè latus ille. Adeunt ambo templum, annumeratur pecunia, pronuntiatur formula, & meritum ab auaro ad liberalem transfertur. O cæcam avaritiam! quàm non videt in lucro suo damnum! Vix iste argentum receperat, & illico cum valetudine vitam amisit. Nam è templo egrediens, sub ipso limine, repentina morte extinctus est. Ita pecuniam pariter atque animam suam perdidit. Cur perdidit? quia liberalitatem suam retractauit. Usque adeò non solum avaritia impedit homines, ne sint liberales, sed etiam hominibus poenitentiam iniicit, si liberales extiterunt.

Matth. 25. 40.

Matth. 25. 40.

Matth. 25. 40.

Matth. 25. 40.

Matth. 25. 40.

IX.

Et quærimus adhuc, cur diuites difficulter intrent in regnum cælorum? diuitiæ amatae ægrè separari se sinunt à suis amatoribus; hinc faciunt illiberales; hinc efficiunt immisericordes; hinc gignunt crudelitatem, quæ miseris non succurrit; hinc merentur diuitiarum amatores, ut neque erga ipsos Deus sit liberalis, sed eos in vita sua, bona sua recipere sinat; in altera, quid futurum sit, dudum prædixit: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: nulla misericordia tetigit vos, neq; Deus tunc miserebitur vestri. Si cetera vobis omnia delicta desint, sufficit, misericordiam non exercuisse. *Nam & ille dives, ait S. Augustinus, ante cuius ianuam iscebat pauperrimus ulcerosus, non est dictus, raptor rerum alienarum. Erat quidam dives, inquit, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Dives, inquit, erat, non dixit, pauperum oppressor: non dixit, rerum alienarum raptor, aut delator, aut receptor: non dixit, pupillarum spoliator: non dixit, viduarum persecutor. Nihil*

Matth. 7. 2.

S. Augustinus, serm. 19. de verbis Apostoli Luc. 16.

horum, sed, erat quidem diues. Quid magnum est? diues erat, de suo diues erat. Cui aliquid tulerat? an forte illi auferret, & Dominus de illo reticeret, & personam eius acciperet, si crimina eius absconderet, qui nobis dicit: Nolite personaliter iudicare? Si vis ergo audire crimen diuitis illius, noli amplius quarere, quam audis à veritate. Diues erat, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Quod ergo eius crimen? Iacens ante ianuam ulcerosus, & non aditus. Hoc enim aperte de illo dictum est, quod immisericors erat. Numquid enim, charissimi, si pauper ille ante ianuam iacens sufficientem panem à diuite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis, qua cadebant de mensa diuitis? Propter hanc solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante ianuam suam iacentem, nec congrue dignèq; pascebat, mortuus est, & sepultus est. Et cum apud inferos in tormentis esset, leuauit oculos suos, & vidit pauperem in sinu Abrahe. Et quid multis immorer? Desiderauit guttam, qui non dedit micam. Nonne accepit iustam sententiam, qui non dedit crudeli auaritia? Si hæc ergo pœna est auarorum, quæ pœna raptorum?

X.

Tertia causa ab eodem epulone diuite trahitur. Nam et si diuitiæ neque peccata sunt, neque culpabiles, vt rectè docuit Augustinus, neque prosperitas crimen haberi potest, cum à Deo sit, tamen inter diuitis illius elogia damnationis, ab Abrahamo etiam illud profertur, quia recepit bona in vita sua. Quapropter D. Basilius in hæc verba exclamat: *Timeo exemplum diuitis: illum delicta vite igni tradiderunt, non ob iniustitiam.* Verum est, immisericors fuit, sed non hæc sola causa indicatur supplicij. Opulentia illi etiam, & festiuus fortunæ vsus, & fauor auri, & splendor purpuræ, & apparatus epularum, denique magnæ annonæ voluptatis obijcitur. Hæc enim sunt, quæ Lazaro defuerunt, & diuiti illi superfuerunt, quæq; ille, si quid fortasse bene meruit, pro meritis suis in hac vita recepit. Quin hoc elogium damnationis, etiam Christus ipse non dissimulauit: *Va vobis diuitibus, inquit, quia habetis consolationem vestram; va vobis, qui saturati estis; va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis.* Quid ita? an non ille diuitias condidit? an non epulas creauit? an purpuram non fecit? Aut fortasse peccatum est, habere, quod supremus rerum Dominus donauit? Nequaquam. Sed delictum est, possidere, quod alijs erat distri-

S. Basl. hom.  
3. de ieiun.

Luc. 6.